DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

VARIOLA.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

VARIOLA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI Conſenſu, et

Nobiliſſimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO

GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ARCTHUS IRWIN,

HIBERNUS,

CHIRURGUS:

Ad diem 12. Septembris, horâ locoque ſolitis.

PHOEBE, fave! novus tua ingreditur templa ſacerdos.

TIBULLUS.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

M DCC XCIX.

FRATRI SUO CARISSIMO,

M. D.

JACOBO IRWIN,

MEDICINAM FELICITER EXERCENTI,

SUASORI STUDIORUM ET APPROBATORI,

HOC,

QUALECUNQUE SIT,

OPUSCULUM,

ANIMI GRATISSIMI

TESTIMONIUM,

SACRUM ESSE

VULT

FRATER AMANTISSIMUS

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

VARIOLA.

CÙM omnes, qui ſeſe ſtudent legitimè ſolenniterque conſequi ſummos medicinæ honores, de re medica aliquid ſcribere oporteat, quod in lucem edant, et eruditorum examini ſubjiciant; ego hanc rem animo volvens, ex magna copia rerum quæ ſeſe obtulerunt, Variolas opuſculi hujus argumento ſelegi,—quippè non aliquid novi reverà pro-

ferre poſſim, ſed ſolummodò inſtitutis hujus Academiæ almæ florentisque morigerari cupiens, hæcce igitur, qualiacunque ſint, eâ quâ decet verecundiâ, propoſui.

Quod ad originem variolarum attinet, res eſt admodum obſcura, atque nil compertum habemus, Græcis autem æquè ac Romanis penitùs ignotæ fuiſſe videntur. Num autem fœdus hic morbus apud Arabes (qui primi ſaltem ejus hiſtoriam poſteris tradiderunt) primò exórtus fuerit, ſeu ad eos ex India Orientali advectus, æquè incertum.

Ex quo tempore autem variolæ in Europam ingreſſæ ſunt, cùm Arabes nimirùm eorum imperii fines extendere ardentes, Hiſpaniam, Italiam, aliasque Europæ regiones, ſub ſuam ditionem magna ex parte redigerent, cùmque Chriſtiani, quò hanc injuriam ulciſcerentur, in Sanctam Terram contra Mahometanos iter facerent; hæc peſtis longè laté-

que

que in populum celeriter graſſata eſt, nec ætati, nec ſexui, nec ordini pepercit.

HISTORIA.

Hunc morbum optimè definivit Cullenus, ſequentibus verbis:

" Synocha contagioſa cum vomitu, et ex " epigaſtrio preſſo, dolore.

" Tertio die incipit, et quinto finitur, e- " ruptio papularum phlegmonodearum, quæ " ſpatio octo dierum, in ſuppurationem, et " in cruſtas demum, abeunt, ſæpè cicatrices " depreſſas, ſive foveolas in cute, relinquen- " tes."

Duas in ſpecies verò morbus hicce dividitur; ſunt enim variolæ vel diſcretæ ſeu benignæ, vel confluentes ſeu malignæ.

Species diſcreta a Culleno ſic definitur:

" Variola

" Variola puſtulis paucis, diſcretis, circum-
" ſcriptione circularibus, turgidis ; febre,
" eruptione factâ, protinùs ceſſante."

Symptomatis iiſdem inſignitur hic morbus primo inſultu, ac pyrexiâ incipiens, nempè, languore, laſſitudine, cum ſenſu frigoris per totum corpus extenſo, ut etiam ſomnolentiâ, oſcitatione, quæ eum ferè perpetuò comitantur. Hæc exemplis pleriſque brevi excipiuntur dolore capitis dorſique ad partem lumborum inferiorem interdum pertinente, necnon plerumque teneritudine aliquali partium quæ ſcrobiculo cordis ſubjacent. Pulſus arteriarum ſolitò frequentiores evadunt, etiamque validiores. Calor corporis multùm adaugetur : anxietas quædam, vomitus, vel vomituritio ægrotum laceſſunt : appetitus deficit, alvus fit adſtricta, ſitis urget, muco viſcido obducitur lingua, urina redditur limpida, neque color ejus per omnem ferè morbi decurſum

curſum ſæpè mutatur. Oculi plerumque plùs minúsve rubent, lucemque tolerare nequeunt. Die ſecundo et tertio ſymptomata omnia graviora evadunt, hocque morbi ſtadio paroxyſmis epilepticis ſæpè corripiuntur infantes ; adulti verò ad ſudores magnos magis propenſi ſunt.

Eruptio tandem, finem verſus tertii diei, in conſpectum prodiens, hanc ſpeciem præ ſe fert. Punctículæ ſeu maculæ ſunt primùm ſubrubræ, vix eminentes, punctionibusque acicularum ſimiles ; paulatim verò magis prominent, formamque puſtularum ſenſim induunt, faciem primò collum ac pectus occupant, undè deinceps per totam corporis ſuperficiem graſſantur, numero nunc minori nunc majori pro morbi vehementia. Res ita ſeſe habent uſque ad diem quintum, quo tempore definit eruptio.

Faciei

Faciei puſtulæ ferè pauciores, vel ſi numeroſiores ſint, attamen diſcretæ cernuntur. Eruptione verò finitâ, pejora cuncta ſymptomata nunquam non minuuntur: motus cordis et arteriarum, anteà frequentes ac validi, tardiores mollesque fiunt; calor corporis multùm imminuítur, cephalalgia ceſſat, nec amplius ægrotus, præſertim ſi junior fuerit, exilit e ſomno, ut anteà conſuevit.

Quod ad eruptionem attinet, obſervandum eſt, puſtulas ferè ſemper decurſum regularem admodùm ac æquum ſervare. Ab exordio illas comitatur inflammatio, quæ ad effuſionem progreſſa, cuticulam illarum apices occupantem die quinto ſextove in veſiculas erigit: hæque per ſpatium bidui latiores fiunt, et ſi eas paulò accuratiùs inſpexeris, in medio poſſunt conſpici foveolæ, quæ non complentur uſque ad diem octavum ab initio mali ſive die eruptionis quinto, quo tempore

puſtulæ

puſtulæ formam ſphœroidalem adipiſcuntur. Humor, qui in veſiculas effundebatur, mutationes nunc ſubit; primò ſeroſus ac incoloratus fuit, paulatim verò magis ſpiſſeſcit, dieque octavo ſpeciem puris ſaltem quadantenùs, acquirit: non autem priùs albus, lævis ac æqualis reperitur, quàm dies decimus venerit, quæ notæ pus benè formatum ſatis certè inſigniunt. Baſis ab initio uſque gyro inflammato circumſcribuntur, adeò ut puſtulis numeroſioribus, color rutilus, roſas Damaſcenas ſimulans, tumore etiam tenſione ac dolore comitantibus, interſtitia puſtularum occupat: hæc circa vultum et palpebras planiùs inſpiciuntur, quæ interdum adeò intumeſcunt, ut luminis aditus oculis negetur. Eodem tempore de raucedine ac ſenſu gutturis moleſto queritur, et ſaliva ore copiosè effluit; quæ ſigna pro faciei collique intumeſcentia, magis minúsve intenduntur: et interdum humores

mores ex ore ac faucibus ſecretos, viſcidiores factos, difficulter expuit æger; atque, tumefactis his partibus ac dolentibus, ita difficilis ſæpè adeſt deglutitio, ut (rariſſimè autem hac in ſpecie) fluida in os recepta, per nares, quum æger devorare molitur, ſtatim rejiciantur: hæc autem faucium vitia ſublevantur, brevique, facie detumeſcente, omninò ceſſant, manibus tunc intumeſcentibus: nec longum eſt tempus, quin pedes etiam tumore afficiuntur. Hæ partes autem, maturatione jam abſolutâ, ſtatum priſtinum recuperant. In apicibus puſtularum obſervatur nunc macula nigra, quâ ruptâ, materia e veſiculis exſudat, et indureſcit; puſtulis ſubſidentibus, cruſtæ formantur, hæque paucis diebus decedunt, partibusque, quibus inſediſſent, reſtat calor profunde ruber. Quibuſdam in caſibus, materia, quam puſtulæ continent, ſolito tenuior, ſeriùs in ſquamulas abit, quod deſquamationem

ſquamationem cutis inducit; hincque exoriuntur depreſſiones: hac autem in ſpecie, de qua nunc differimus, minùs ſæpè contingunt; (utque SYDENHAMUS dicit), variola diſtincta veſtigia ſui rarò relinquit, quæ jam enumeravimus ſigna, vultum modo ſupradicto afficiunt, eundemque ferè tenorem per reliquum corpus obſervant; ſed materia puſtularum in extremis corporis partibus ſæpè abſorbetur, ita, ut morbo jam ad acmen provecto, veſiculæ vacuæ videantur, aut, aliis verbis, reſolutione finitæ fuiſſe dicantur, puſtulis faciei numeroſis ſæpè nunc oritur febricula, quæ febris ſecundaria apud medicos audit, ſed evaneſcit puſtulis jam maturis, nec eam ſæpè multùm incommodi vel periculi ſequitur.

Enarratis, quàm breviſſimè potui, indiciis maximè familiaribus variolæ diſtinctæ, ſpecies altera, nempè Confluens, nunc perfunctoriè deſcribenda.

Hiſce depingitur verbis: Puſtulis numeroſis, confluentibus, circumſcriptione irregularibus, flaccidis, parùm elevatis; febre poſt eruptionem perſtante.

Quæ ſymptomata ſpeciem diſtinctam, eadem hanc comitantur, ſed multò magis ſæviunt; magis atrox eſt febris, ut ex pulſu frequentiori, ac ſæpè contracto pulsûs typhoidæi æmulo, necnon calore admodum intenſo, facilè patet: cephalæa valdè acuta, coma ac delirium, formæ hujuſce comites ferè aſſidui, ſenſorium hâc magis quàm in altera ſpecie, affici luculenter probant: vomitus et nauſea, qui ferè incontinenter excruciant, ut et teneritudo partium, quæ ſcrobiculo cordis ſubjacent, inſolita, præſertim epigaſtrio preſſo, ventriculum maximè perturbari clarè oſtendunt, exque inflammationis, gradu parvo, ornatiſſimo Profeſſore noſtro GREGORIO judice, pendere videntur, ſeu ſaltem aliquid congeſtionis hoc in organo exiſtere

tere demonſtrant. Oculi magis inflammantur, celerior reſpiratio, lingua ſcabra et arida, urina profundè rubra, atque, ut uno verbo omnia amplectamur, a ſtatu naturali aberrant omnes functiones corporis. Convulſionibus ferè ab exordio mali, ſæpiúsque repetitis, haud rarò torquentur infantes, hæque vitam, antequam eruptio ſupervenerit, ſæpè extinguunt; ſique mors pallida hocce ſignum haud ſtatim ſubſequatur, eruptio ſæpiſſime mali moris exferetur, hincque orietur morbus periculi plenus.

Hanc ſpeciem ſæpè invehit rubor eryſipelatoſus, qui in facie, collo et thorace ſe primò manifeſtat, ac interdum per corporis ſuperficiem totam diffunditur: die ſecundo cernitur, ſtatimque puſtulæ ſeu papulæ confertiſſimæ, initio quaſi diſcretæ, citò autem coaleſcentes, partibus inflammatis, imprimis facie, exoriuntur. Quæ ſymptomata eruptionem

tionem anteceſſerunt, ea nunc miteſcunt; ſed, die quinto finito, recrudeſcunt, magnâque vi per totum morbi decurſum ſæviunt.

In confluentibus, phlyctenæ ſummitates puſtularum occupantes, citiùs obſervantur, ac etſi evadant latiores, formâ circulari minimè circumdantur; multisque in locis, præſertim in facie, ſibi invicem adeò implicantur, ut pars cooperta, inſtar pergamenæ eam tegentis, videatur. Quæ quidem puſtulæ adhuc diſcretæ maneant, eæ planæ reſtant, ſolitam cutis ſuperficiem parùm ſuperantes; et figuram ſphæroideam nunquam acquirunt, neque baſin cingit margo inflammatus, quod in ſpecie altera ſemper contingit; e contrario, puſtularum interſtitia ſunt plerumque flaccida, ac colore pallido. Liquor in veſiculis contentus primò pellucidus, paulatim albus, opacus ſeu fuſcus evadit; ſed colorem flavum aut ſpiſſitudinem, quæ diſtinctam inſigniunt,

nunquam

nunquam nanciſcitur, facies collumque hìc citiùs intumeſcunt, magis laborant, ac anginam habent comitem magis moleſtum atque periculoſum quàm in adultis ſubſequitur ptyaliſmus, æquè ferè ingens ac ille ab hydrargyro excitatus.

In infantibus diarrhœa haud rarò accidit; et quocunque tempore invadat, per totum morbum ferè perdurat; niſi medicaminibus huic reſiſtatur, quod rariùs in diſcreta occurrit.

Morbo ita progrediente, veſiculæ die undecimo rumpuntur; ſanies, quam includunt areſcit, cruſtas nigras efformat, quæ, multis diebus prætermiſſis, decedunt, partesque ſubtùs foveolis fœdisque cicatricibus refertas relinquunt. Eodem tempore, veſiculis diſruptis, tumor faciei decreſcit, ac quibuſdam in caſibus admodùm ſubitò ſubſidet, manibus ac pedibus, ſi majus periculum immineat, tumo-

re

re carentibus, ac, ſi morbus graviſſimè fæviat, proſternuntur magnoperè vires ; necnon proclivitatem ad putredinem, idque etiam morbo haud multùm provecto, obſervare licet. Hujuſce rei illuſtrandæ causâ, petechiarum, vibicum, hæmorrhagiarum, gangrænæ quæ aliis in partibus corporis aliàs accidant, cum celeri pulſu ac irregulari, mentionem facere fas ſit. Mens etiam nunc labaſcit, anxietas permagna ac vigilia miſerum laceſſunt, deficit ſermo, lingua aſpera et arida, dentes muco ſubnigro offuſcantur, ſpiritus fœtet, odoremque ingratiſſimum emittit corpus univerſum. Poſtremò, die undecimo, interdum decimo quarto, ſeu etiam decimo ſeptimo, mors, alis nigris circumvolitans, miſerandam victimam abripit.

DIA-

DIAGNOSIS.

Morbi, quibus cum variolis intercedit ſimilitudo, ſunt tantummodò rubeola ac varicella; nec etiam in illis ullo diſcrimine opus eſt, niſi eorundem primo inſultu. Si adſint tuſſis ſicca et rauca, coryza, ſternutatio et epiphora, morbillos inſtare concludendum eſt; ſed, eruptione finitâ, nullus dubitationi locus relinquitur; in morbillis enim maculæ ſunt valdè irregulares, confertæ, ac ſummam cutem vix ſuperant; ac in utrovis morbo eruptio quòd ad tempus diverſa, in his enim tardiùs, in illis temporiùs evenit. Natura etiam morbi epidemicè tunc temporis graſſantis reſpicienda eſt, necnon quæritemus oportet, an ægrotus contagioni varioloſæ expoſitus fuiſſet, ſive hoc malo olim laborâſſet,

quùm

quùm neminem hoc morbo bis affectum eſſe ſatis compertum ſit.

His rebus ritè perpenſis, medico ſagaci duos hoſce morbos internoſcere haud difficile erit.

Sed hunc morbum præ cæteris refert varicella: inter hos duos igitur diſcrimine accuratiore opus eſt. In varicella autem febris ſemper levis aut nulla, et apud HEBERDEN nil aliud præter corporis ac animi vires labefactas, cibi inappetentiâ comitante, duos tresve dies perſtante, quo tempore cernuntur puſtulæ duodecim in facie, ſeu forſitan centum in corporis univerſi ſuperficie, nunquam ſaltem confluunt: hoc in malo quoque puſtulas ferè ſemper in dorſo, in variola autem, ut anteà innuimus, primò in faciè cerni obſervandum eſt: ad hæc, curſum multò citiùs peragunt, quinque enim vix dies ab eruptione prima uſque ad cruſtas formatas,

matas, vix aut ne vix quidem prætereunt, nec has unquam excipiunt foveolæ.

PROGNOSIS.

Sententiam noſtram ritè proponendi causâ de hujus morbi exitu, phænomenis ſequentibus curam adhibeamus maximam oportet.

Inter notas fauſtas annumerandæ ſunt ſequentes; nimirùm, febris eruptiva, benigna, quæque, eruptione abſolutâ, decedit; puſtulæ ſeriùs exſertæ ac pauciores, ab ſe invicem benè remotæ, præſertim in facie; quùm autem grandiores evadunt, ac prominent, pure plenæ ſubflavo, atque illis adſunt interſtitia, coloris rutili, (quæ omnia ſuppurationem laudabilem perfici denotant); morbo etiam longiùs provecto, extremitatum intumeſcentia, quùm detumuerit vultus, diarrhœa mitis in

infantibus, ac ſalivatio in adultis tenuis facilisque, morbum curſum ſuum naturalem percurrere oſtendunt, eóque ſpes bonas nobis ſuppeditant.

Signa graviora nunc conſideranda ſunt. Quò magis febris inſtat et urget, quò temporius prodeunt puſtulæ, dum hæ magno numero exſeruntur, præſertim in facie, et confluunt; dum quoque colore nigrove, ſeu interſtitiis lividis vel pallidis, gaudent; quò citiùs etiam debilitatis magnæ indicia vel proclivitas ad putredinem ſeſe manifeſtant ac perſiſtunt; majus periculum metuendum eſt: Vel, ſi magìs placet, CULLENUM imitando, ſententiam noſtram ita reddere poſſumus; quò ſimilior ſpeciei diſtinctæ eſt morbus, periculo eò magìs caret, et vice versâ, quò propiùs ad confluentem vergit, exitus infauſtus extimeſcendus.

CAUSA

CAUSA PRÆDISPONENS.

Certos esse quosdam habitus corporis, qui operationi favent causæ excitantis, omnibus innotescit; quippè enim aliquos contagioni varioloſæ licèt pluries expositos, morbo tamen non corripi videmus; exque hac re fortasse pendet, quod variolæ insitivæ, imprimis in tenellis infantibus non ex voto chirurgi semper proveniunt.

Non minùs etiam constat seminia huic morbo producendo idonea, aliis in familiis, aliis viribus pollere; quippè quædam hâc contagione semper immunes esse inveniuntur.

Medicus clarus Diemerbroeckius, de seipso suisque testatur, " quòd jam ferè septua-
" genarius, millenos viderit et curaverit hoc
" morbo

" morbo decumbentes ; tetrum hujus morbi
" fœtorem ſatis diu perpeſſus fuerit, ægro-
" rumque ulcera tractaverit, ſemper immu-
" nis : et patrem et patruum, ferè nonagena-
" rios, aviam octogenariam, cognatos duos
" octogenarios, et nonnullos alios ex ſua fa-
" milia, recenſet, qui nunquam variolis ten-
" tati fuerunt."

Quoſdam etiam eſſe ſtatus cœli, qui huic contagioni vires ſuppeditant, neminem latet, ac in quibus morbus vi maximâ ut plurimùm ſævit. Hoc verum eſſe ex tabellis mortuorum Londini habitis, clarè patet : quibuſdam enim annis ſex ſeptemve millia, aliis vix ducentos, e medio tollunt variolæ.

Qui autem ſtatus aëris ac corporis huic contagioni aut faveat, aut reſiſtat, me judice, aciem et philoſophorum et medicorum maximè perſpicacem adhuc effugit.

CAUSA

CAUSA EXCITANS.

De cauſa quidem excitante multa verba contexere, haud operæ pretium foret: omnes enim uno ore conſentiunt, contagionem eſſe ſui generis, — cujus dotes altâ caligine ſubmerſas eſſe confiteamur neceſſe eſt.

CURATIO.

Hunc morbum tractârunt Arabes methodo haud abſimili iſtius, qua hodierni utuntur. Remediis verò antiphlogiſticis, liberiùs plus quàm recentiores confiſi ſunt. Hæcce autem methodus medendi, non diu invaluit: medici enim principiis de natura morbi malè ſtabilitis, vitium hoc, (ſi forſitan quid vi-

tii

tii illi ineſſet), vitantes in contraria magisque periculoſa currebant: ægrotos ſuos miſerandos ſupplicia gravia perpeſſuros, ad lectos ingratos a primo morbi inſultu affigebant, ſtragulis multis, æſtu etiam maximè urgente, onerabant, pannisque laneis vel purpureis involvebant,—ignorantiæ enim ac ſuperſtitioni parentes, multùm commodi et virtutis in veſtium colore ponebant; conclavio etiam arcto ac calido, ne aër calefactus fœdusque ullam mutationem ſubiret, ægros infelices concluſerunt; ſudorifica etiam calida, nullumque potum niſi parciſſimè, eumque ſtercore ovino ſæpè admiſtum, porrigebant: alias nugas hujuſmodi, quæ medicis tunc temporis placebant, quæ autem omnibus nunc irriſui forent, recenſere, opus planè ſupervacaneum eſſet.

Sydenhamus tandem, alter ille Hippocrates, orbi medico illuxit: magnus ille medicus,

medicus, malis ex tali curatione perſpectis, hanc praxin ſeu potiùs trucidationem apertè condemnare, rationemque morbi tractandi excultiorem proponere; nec ſine periculo ſuo primus omnium auſus eſt; multis enim opprobriis convitiisque illum laceſſerunt medici æquè ac plebecula, et quinquaginta anni priùs elapſi ſunt quàm SYDENHAMO ac rationi auſcultaverunt: Commenta verò opinionum, dies, obſervante CICERONE, tandem delet, naturæ judicia confirmat. Curatio igitur a SYDENHAMO propoſita, magna ex parte, quibuſdam ejus rebus ubi uſus poſtulabat ſolummodò mutatis, nunc diu invaluit.

Primo morbi ſtadio ſummâ vi nos contendere decet, quò febris eruptiva minuatur, utpotè nil ad decurſum morbi felicem reddendum magis conferet. Quò huic conſilio reſpondeatur, remediis diverſis uti medici ſolent;

lent; quorum omnium utiliſſimum, æquè ac certiſſimum, eſt aër frigidus corpori liberè admiſſus: adagium tamen commune, *Ne quid nimis*, medico ſagaci nunquam obliviſcendum eſt, inter hoc remedium igitur ac febris violentiam rationem quandam intercedere, curam adhibeamus neceſſe erit: hâc enim causâ innitur, quòd ægroto tantùm frigoris adeò non nocet, ut maxima commoda exindè oriantur. Primæ viæ ſunt liberè ſolvendæ, atque hoc conſilio, ſalibus mediis diverſis utendum eſt; inter optimos quorum forſan exiſtunt ſoda tartarizata vel phoſphorata, aut pro his ad hydrargyrum muriatum mitem, vel per ſe vel cum rheo conjunctum, ſæpe cum fructu confugiemus. Diluentia, quibus parvum acidi vitriolici pro re nata addatur, vel fructus ſubacidi, adhibenda; victu tenui, e materia vegetabili conflato, ægrotus veſcatur; ſique habitus illi fuerit plethoricus, præcipuè

florente

florente ætate, ac ſi olim genio ſuo liberiùs indulſiſſet, pulſu duro ac magno calore cutis cæterisve ſignis topici inflammationis alicujus viſceris has res comitantibus, ſine mora detrahatur ſanguis, oportet; qua in re temperamentum, ætas, violentia ſymptomatum, et tempeſtas anni, æquè ac in aliis caſibus, medicum ſedulum ac ſagacem dirigent: in memoria tamen fideli ſemper altè ponendum eſt, venæſectionem nimiam, ſeu nimis ſæpè repetitam, vires magnoperè affligendo, febrem typhoidæam augere, omniaque ſymptomata ita ingraveſcere, neceſſe eſt.

Convulſionibus hoc in ſtadio adeò ſæpè contingentibus, aërem frigidum corpori liberè applicando, qui enim effectus optimos edit, præcavendum eſt; et ſi jam ſupervenerint, opium ægro ſtatim propinandum. Hoc autem nil proficiente, balneum tepidum, utpotè

optimè relaxans, tentandum eſſe quidam medici, hique haud parvi nominis ſuaſerunt.

Talia ſunt remedia, quæ ſtadio primo utplurimum adhiberi poſſunt; quo finito, ſi eruperint papulæ omnibus diſtinctæ notis inſignitæ, arte ſanandi vix ampliùs opus erit. In confluentibus, verò, res longè aliter contingunt; medico enim nunc ſummis viribus, quo hoſtem tam validum tamque ſævum ab inſultu ejus primo uſque ad ultimum in ditionem ſuam redigere poſſit, enitendum eſt. Hìc quæ remedia ante eruptionem adhibuit medicus, eadem nunc pro re nata iterum propinanda: neonon ad alia decurrendum erit: opium a die quinto uſque ad exitum morbi, quò ſedetur irritatio puſtulis exoriens, dandum; vires autem ejus alvum aſtringendi, ſedulò compeſcendæ ſunt.

Si angina moleſtiam magnam faceſſat, ſique ſputa haud facilè exſcreentur, nil gargariſmatis

riſmatis detergentibus, emplaſtris veſicatoriis faucibus ſimul applicatis, utilius erit.

Si febris, ſtadio morbi provecto, rediret, ſignis diatheſeos ſthenicæ ſimul urgentibus, primæ viæ purgandæ, ut etiam vena fortaſsè ſecanda; ſi tamen pro his ſymptomata adſint debilitatem indicantia ſeu putredinem, (quæ in hiſtoria jam recenſita ſunt), hoc in caſu vinum generoſum, ac tonica varia, imprimis cortex Peruvianus, ut et acida aliaque antiſeptica et vegetabilia et mineralia, liberè adminiſtranda.